


CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

*Resp.*: Negative. Munus lectoris est munus liturgicum, quod solis viris committitur. Proinde Epistola legatur a celebrante.

Ad n. 50:

17. Utrum celebrans, inchoando *Credo*, adhuc manus extendere debeat?

*Resp.*: Negative. Verba hunc gestum significantia, ex errore materiali in prima editione *Ordinis Missae* irrepserunt. Postea dempta sunt: nam in *Ritu servando* non inveniuntur.

18. Utrum *Credo* solummodo ad sedem vel ad altare inchoare liceat, an etiam in ambone vel ad cancellos?

*Resp.*: Servetur *Ritus servandus* n. 50: « ... ad sedem vel ad altare, inchoat, si dicendum est, *Credo in unum Deum*, ... ».

Ad n. 51:

19. Quomodo celebrans manus tenere debet durante oratione fidelium?

*Resp.*: Stet manibus iunctis.

Ad nn. 55 et 56:

20. Utrum celebrans calicem pro offertorio praeparare possit stans in medio altaris?

*Resp.*: Negative, sed praeparet calicem de more ad latus dexterum altaris (excepto casu in *Ritu servando* n. 99, b indicato).

Ad n. 58:

21. Utrum diebus ieiunii et in Missis defunctorum genuflectendum sit ad orationem super oblata?

*Resp.*: Affirmative, ad mentem Cod. rubr. n. 521, c.

Ad n. 61:

22. Utrum liceat dicere praefationem lingua vernacula, cum dialogus ante, et *Sanctus* post praefationem certo dici possint in lingua populari?

*Resp.*: Ex recenti concessione (27 aprilis 1965) Apostolicae Sedis, iuxta n. 58 *Instructionis*, competens auctoritas territorialis ecclesiastica permittere potest usum linguae vernaculae in praefationibus, interpretatione populari a « Consilio » confirmata.

Ad n. 69:

23. Utrum liceat caereconiario assistere ad librum in Missa sollemni, praesertim durante Canone?

*Resp.*: Servetur *Ritus servandus* n. 69: « In Missa sollemni, inde ab oratione super oblata diaconus et subdiaconus stant post celebrantem. Diaconus autem ad celebrantem accedit quando opus est eius ministerio, statimque in locum suum redit ». Quando diacono impossibile sit assistere ad librum, caereconiarius hoc faciat. Servitio autem peracto statim recedat in locum suum. Verbum autem *post* indicat, quod ministri stare debent infra celebrantem, etsi non materialiter post terga ipsius.

24. Ubi stare debent assistentes seu capellani in Missa lecta Praelati durante Canone?

*Resp.*: Stent *post* celebrantem. Idest, sese habeant uti ministri sacri ad mentem *Ritus servandi* n. 69, supra citati.

Ad nn. 76 et 77:

25. Utrum celebrans expectare debeat finem cantus *Agnus Dei* an prosequi possit cum oratione *Domine, Iesu Christe*?

*Resp.*: Potest procedere.

Ad n. 84:

26. Utrum celebrans ad digitos purificandos post Communionem adhuc ire debeat ad latus dexterum altaris, an ministrantes ad eum, in medio altaris stantem, accedere possint?

*Resp.*: Ablutione sumpta, celebrans vadat ad latus dexterum altaris et ibi purificet digitos (excepto casu de quo in *Ritu servando* n. 99, a).

27. Utrum verba *Ritus servandi* n. 84: « Deinde celebrans, stans in medio, et habens apud se librum ... » et n. 85: « ... stans in medio altaris ante librum dicit ... » ita interpretari debeant, ut Missale ponendum sit in medio altaris?

*Resp.*: Missale pro legendis antiphona ad Communionem et post-communionem relinqui potest aut ad sinistram, sicut exstat pro Canone, aut, calice ex altari ablato, in medio poni, prout magis commodum pro celebrante fuerit.